

legimus, quantum quæso uorum numerum reputabimus? Quos si cerneremus, merito exclamare eum Elisæi ministro, qui cum vidisset exercitum Syrorum maximum in circuitu civitatis, dicebat: *Heu heu! Domine mi, quid faciemus?* Sed respondit Elisæus: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*, IV. Reg. VI. ss. angelos intelligens.

V. Sunt hominibus infensissimi: unde Satanae vocantur, id est, adversarii. Et nonne id satis colligit vel ex eo potest, quod Lucae VIII. petierint a Christo, ne mitterentur in abyssum, sed potius in porcos? Cur enim id petierunt, nisi ut hac ratione primo, corporaliter nocerent incolis, suffocando eorum porcos, et in mare præcipitando, deinde, etiam spiritualiter, instigando eos ne Christum ad se admitterent, uti factum? Taceo quia porcus animal est perniciosum, siquidem ejus caro aciem ingenii obtundit, lac gignit lepram, ipse agros vastat, etc. Christus itaque hoc eis permisit ut ostenderet eorum nocendi libidinem, et quid facerent hominibus, si Deus permitteret, siquidem hoc fecerunt porcis. Nimirum simili modo præcipitaret omnes non in mare, sed gehennam. Sane in hodierno evangelio petiit a Christo impudentissime ut se deorsum de templo mitteret; quo aperte demonstravit se nil magis desiderare, quam omnium nostrum ruinam.

Sed unde hoc tam crudele odium dæmonis in homines? Primo, quia oderunt Deum, qui perpetuo eos affligit juxta id Psal. LXXIII. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Et quia Deo nocere nequeunt, convertunt odium suum in ejus imaginem, quæ est homo. Pardalis animal est homini inimicissimum, adeo ut quandoque in stadiis hominis oculos præ ira invadat: qui autem feræ furorem deludere quærent, hominis imaginem ei ex charta ostendunt: illa statim turbunda eam concepit et dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic item diabolus in imagine hominem apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit, hinc ipsi bellum tam acre contra nos, ita S. Basilius, hom. in aliquot Scripturæ locos. Unde collige primo, odium hoc perpetuum esse: secundo, tanto minus sollicitantibus acquiescendum esse; quia non amore tui sed odio Dei sollicitant: tertio, Deum tibi contra illos manum porrecturum, quia propter illum infestant.

Secundo, ex invidia, quia vident homines promoveri adeas sedes, quas ipsi casu suo vacuas reliquerunt. Unde S. Basilius, in hom. Quod Deus non sit auctor malorum ait: Non inimicus

nobis a Deo constitutus est, sed ipse ex invidia sese nobis opposuit. Animavertens enim se ex angelorum ordinibus expulsum, non tulit terrenam creaturam ad angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari.

Tertio, ex superbia, qua desiderat coli ut Deus, cujus similitudinem initio statim appetiit. Cum ergo videt se ab hominibus id non posse obtinere, hinc in eos odium: uti Amanis in Mardocheum, quod videret eum sibi non assurgere. Unde hodie etiam a Christo adorari petiit: sed cum id non impetraret, tunc reliquit eum et abiit.

Quarto, ut prorogent diem judicii, quo se ad infernum detrudendos omnes et acris puniendos sciunt. Idcirco ne tam cito impleatur numerus electorum, pervertere moliantur homines.

Quinto, ex mera nocendi libidine et voluptate quæ provenit ex obfirmata eorum malitia. Licet enim nihil aliud inde lucentur, quam majora sibi supplicia, ita tamen ardent cupiditate nocendi, ut nostris calamitatibus delectentur, nec satiari iis queant.

Quæ cum ita sint, quis non videt primo, quam stulte agant homines qui cum hostibus his truculentissimis contrahunt fœdera et amicitias? Qui se illis devovent, qui eorum opem implorant, qui cum illis colludunt, qui ob leviculam voluptatem aut lucrum eorum jugum subeunt?

Secundo, quantopere nobis timendum sit, qui in tot hostium acerrimorum medio versamur. Vere nobis dicitur id Eccl. *In medio laqueorum ingredieris*: et Isa. XXIV. *Formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ*. Ideoque dicere cum Davide possumus: *Heu mihi! incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar*, Psalmo CXIX. q. d. cum rectoribus tenebrarum harum (Cedar enim tenebras significat.) Si lepuseculus inter plurimos canes, columba inter accipitres, homo inter leones, navis inter scopulos versaretur, quæ illis spes salutis esse posset? At nos in majori periculo versamur: dæmones enim fortiores, immaniores, invisibiles sunt, excludi nequeunt: nocent etiam non irritati, ex aere in nos pignant. O si oculos ad hæc apertos haberemus! Videremus immanes belluas undique circa nos fremere et paucissimos evadere. Et tunc jam non rideremus, luderemus, et tam temere ac sine ullo metu peccaremus.

Tertio, quantum nobis vigilandum sit et de armis spiritualibus providendum, contra tantos insidiatores. Hoc enim subjecit apostolus ad Eph. VI. postquam insidiatores hos descrip-

isset: *Propterea, inquit, accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*. Quæ autem, inquires, hæc armatura? Breviter, oratio, jejunium, verbum Dei, pœnitentia, meditatio de passione Domini, etc.

CONCIO IV.

QUADRAGESIMA, TEMPUS ACCEPTABILE.

I. Quadragesima tempus ad ædificandum. — II. Tempus ad tondendos capillos. — III. Tempus ad minuendum sanguinem. — IV. Tempus ad mercandum. — V. Tempus ad præliandum. — VI. Tempus ablactandi infantes. — VII. Tempus seminandi. — VIII. Tempus metendi.

THEMA.

Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.

II. Cor. VI.

Multi sunt, auditores, qui suas actiones instituunt et dirigunt juxta astrologorum placita, qui ex astris multa divinant, plerumque exiguo fundamento; veluti quando sit ædificandum, quando bellandum, quando minuendus sanguis, quando attondendi capilli, quando ablactandi infantes, etc. Parum aut nihil prodest attendere ad hæc somnia et somniantes. Cuperem vos potius audire S. Paulum, et ex eo Ecclesiam in epistola hodierna quæ longe majore certitudine præscribit nobis tempus multis bonis actionibus admodum accommodum. Est autem tempus quadragesimale, de quo intonat hodie Ecclesia cum apostolo: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Est enim quadragesima revera tempus commodum ad ædificandum ad capillos attondendos, ad sanguinem minuendum, ad mercandum, ad bellandum, ad infantes ablactandos, ad seminandum, ad fruges congregandas. Quæ omnia nunc videbimus.

I. Quadragesima est tempus acceptabile ad ædificandum. Prima nostra cura esse deberet de reparanda animæ domo, quam toto anno non tamen extruere, quam destruere solemus. Sed plerique hominum solum intenti sunt quomodo ædificent temporalia, de anima nihil solliciti; vel certe hujus structuram nimium prolongant. Legimus apud Aggæum I. Judæos reprehendi, quod reversi e Babylone, domus tantum suas solerter ædificarent, domum vero Dei negligerent. Dicebant enim: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Quibus respondet Deus: *Numquid vobis tempus, ut habitetis in domi-*

*bus vestris laqueatis, et domus ista deserta, quasi dicat: Habetisne vos tempus ædificandi domos vestras ad luxum et splendorem; et non habetis tempus ædificandi templum ad necessitatem. Nunc ergo tempus est ædificandi etiam templum: Ascendite in montem, parate ligna et ædificate domum et acceptabilis mihi erit. Domus Dei est anima nostra, quæ destruitur per peccata, quæ toto anno committimus. Hæc ergo reparanda est et quidem ante omnia. Sed communis plurimorum vox est per annum: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Omnes sciunt pœnitentiam agendam, et volunt pœnitere sed nondum. Interim vero tempus habent ad sua commoda sectanda, voluptates, honores, lucra paranda, pro animæ necessaria reparatione non habent. Ecce igitur nunc tempus acceptabile, tempus quadragesimæ; ascendite in montem pœnitentiæ, portate ligna contritionis ad exurenda peccata vestra, nunc pacem offert Deus, nunc vocat ad pœnitentiam et offert occasionem, quam si negligamus, forsitan in posterum subtrahet nobis Deus. Exemplo est Otho III. imperator, qui ob eandem Crescentii contra datam fidem factam, imperio se abdicare et monachum agere sponderat Sancto Romualdo, a quo monitus de adimplenda promissione, respondit se quidem id facturum, sed nondum; Romam sibi prius expugnandam et puniendam. Verum Romæ uxorem Crescentii occisi sibi junxit seu in uxorem seu in concubinam, quæ videns recedere a se imperatorem chirothecas veneno infectas in amoris signum ei donavit; unde imperator paulo post periit, Baron. anno 1001. et 1002. Ita nimirum a morte præveniuntur illi, qui cum possunt prævenire eam noluerunt.*

II. Est tempus acceptabile ad tondendos capillos. Legimus II. Reg. XIV. Absalonem semel in anno tonderi solitum, quia tandem gravabat eum cæsaries, tametsi alioqui, capillis suis delectabatur. Capilli sunt peccata quæ ex concupiscentia oriuntur, sicut capilli ex carne, matre concupiscentiæ: his delectatur quidem peccator, dum peccat, sed postea gravatur eorum pondere. Audi Davidem, Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, (quod faciunt et capilli) et sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Nec mirum, quia si toto anno non tondeantur, plerumque multæ sunt. Unde idem David, Ps. XXXIX. ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ et non potui ut viderem: Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*. Ut enim capilli nimis longi et densi defluunt ad oculos et impediunt visum, ita peccata nimium aucta excæcant peccatorem. Quare

semel in anno saltem tondentur sunt in capilli, quod fit per poenitentiam, quasi per forcem. Sane Absalon quia nimium excrescere passus est capillos suos; tandem eis quereui implicatis suspensus est et perit. Idem contingit iis, qui in peccatis suis inveterescunt, nec suo tempore rite ea exonerant. Quandoque enim ad desperationem vel insaniam rediguntur, pressi pondere peccatorum suorum. Ecce igitur nunc tempus acceptabile ad tondendos hos capillos, siquidem id nunc praecipit Ecclesia materna sua auctoritate, quod aliis temporibus suadet tantum.

III. Tempus acceptabile ad minuendum sanguinem. Sanguis noxius vel nimius corpus gravans reatum poenae significat, debitum peccatis. Is vero in multis tantus est, ut post dimissa etiam peccata requiem non habeant donec satisfaciant. Hinc enim exclamat David ad Deum velut medicum suum jam a culpa absolutus: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae*, Ps. L. sentiebat enim se urgeri et premi a sanguine Uriae, quem occidi fecerat inique et cuius thorum violaverat. Ac licet audisset a Nathan dimissa sibi esse peccata intellexit tamen ab eodem luendas sibi pro iisdem poenas, quas hic deprecatur. Sanguis enim Uriae vindictam expetebat; quod suo etiam modo facit quaevis injuria et iniquitas sive in Deum, sive in proximum, sive in subjectum proprium commissa. Peccatum enim occidit animam et fundit quodammodo ejus sanguinem, qui vindictam a Deo postulat. Jam si quis intra annum saepius occidit animam suam per mortalia peccata; qua ratione, obsecro, non sentiet se gravari nimio illo et noxio sanguine? Neque tibi persuadeas onus hoc deponi per tusionem pectoris, per unum vel alterum rosarium: cuti scindenda, sanguis vel lacrymae eliciendae sunt. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, inquit Dominus, Joel. cap. II. *in jejuniis et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra*. Quo facto adhuc dubitat propheta de sanitatis certitudine: *Quis scit, inquit, si convertatur et ignoscat?* Qui sanguine abundat, nisi eum subinde minuat, morbum sibi conciliat. Et qui vix unquam minuit debita sua, per voluntarias corporis castigationes, quantum sibi onus poenarum accumulabit in purgatorio luendarum? Ecce igitur nunc tempus acceptabile ad hunc sanguinem minuendum, per flagella, cilicium, humicubationes, vigiliis, abstinentias, etc. Provocamur enim nunc ad hoc ipsius Christi exemplo, qui ut liberaret nos a peccato et gehenna, heu quantum effudit sanguinis? Neque tamen existimemus nos idcirco liberos a poenis temporalibus, quas denuo post baptismum contraximus: haec nobis exsolvendae

sunt. Provocamur exemplo tot Christianorum, qui hoc tempore, praesertim in majore hebdomada et triduo passionis variis se castigant modis abdicantque se voluptatibus.

IV. Tempus acceptabile ad mercandum et lucrandum. Lev. XXV. constituit Deus certum tempus, quo redire unusquisque posset non solum ad pristinam libertatem, si seipsum vendidisset, verum etiam ad pristinas possessiones et bona sua, si ea distraxisset. Porro hic annus erat quinquagesimus, dictus jubileus et remissionis. Voluit enim Deus, ut familiae in suis possessionibus et facultatibus conservarentur. Vult enim ut quique bona gratiae, quibus nos ditavit, perpetuo conservemus. Verum quid agit major hominum pars toto pene anno? Vendunt seipsos, gratiam et merita sua multisque modis obligant crudelissimo tyranno, daemone, qui non ad alium finem eos emit oblati medicis voluptatibus, quam ut mactet et perdat. Quam multi in hoc anno vendiderunt daemone suam existimationem, suam castitatem pro levissima libidine? Quam multi suam fidem datam Christo in baptismo, dum se daemone servitio et veneficio obstrinxerunt? Quam multi prius optime instituti hoc anno sunt perversi, atque ita vendiderunt optimam suam indolem, institutionem, virtutes? Quam multi maximum meritorum cumulum sibi comparatum uno peccato prodegerunt? Porro non vult Deus, ut his possessionibus nostris omnino deiciamur: locus est regressui ad eas, est et tempus. Et quodnam magis aptum, magis acceptabile quam hoc ipsum quadragesimae? Hoc enim potissimum tempore offert nobis Christus pretium sanguinis sui, quo redimere nos et omnia nostra possumus a diabolo, modo ipsi velimus. Tantum abrumpamus vincula, excutiamus jugum daemone et abrenuntiemus ei per veram poenitentiam, et redimamus nos ipsos, quia pro liberatione nostra dedimus Christi sanguinem, qui hoc anniversario effusionis suae tempore maxime operatur et praestat omnibus sola poenitentia parandus.

V. Tempus acceptabile ad praeliandum contra hostes invisibiles; quibus superandis commodissima, facillima et universalis panoplia est oratio, quam praescribit ad Ephes. VII. apostolus; Deus enim est, qui in omni tentatione dat victoriam, unde ejus adjutorium oratione impetrandum. Novimus Moysen orando plus effecisse contra Amalecitas, quam Josuen pugnando, Exod. XVII. Est autem hoc sacro tempore maxima necessitas simul ei commoditas orandi. Necessitas, quia nunc daemone maxime laborat perturbare homines et a virtutum studio avertere; commoditas, quia nunc Ecclesia auget preces in divinis officiiis,

adeoque praestit filiis suis, proponit etiam ob oculos utilissimam orationis et meditationis materiam, Christi passionem; ad haec subtrahit corpori partem cibi, ut cibum animae, qui est oratio, duplicetur: multum enim confert ad orandum stomachus jejunos, sicut e contra stomachus repletus somnum potius quam orationem cogitat. Sane discipulorum Christi oculi post cenam erant gravati in monte Oliveti, ideoque ad vigilandum oratione indispositi. Quae causa videtur fuisse ut Christum partim negarent, partim desererent. Tempus etiam nunc est pugnandi contra pravos habitus vitiorum et malas propensiones. Nemo nunc otio diffluat, omnes ad hoc incumbant. Tempus nunc evellendi vitia, et tempus plantandi virtutes. David quia eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, otio indulgebat, captus est a daemone per intuitum Bethsabee, II. Reg. XI. Caveant sibi ergo, qui hoc tempore, quo principes tenebrarum solent ad bella prodire, non vacant orationi, sed otio et somno.

VI. Tempus acceptabile ad infantes ab lactandis. Est autem haec ab lactatio abstinentia a carne et solita corporis refectione, seu jejunium. Toto fere anno plerique indulgent ventri, luxui et ebrietati: adhærent velut parvuli uberibus; ex quo incapaces fiunt omnis disciplinae et sapientiae caelestis. Denique, venter omnium importunissimus hostis est et minime satiabilis (ut alibi ex Serapione audivimus): siquidem mox fremit et indignatur, si vel triduo pabulum ei subtrahatur. Quid igitur tacit Ecclesia ut ab hoc importuno exactore quadamtenus saltem liberet nos? Jejunium instituit, quo ventri quidem necessitas tribuatur, superfluitas vero dematur, ut ita caelestis gratiae, disciplinae et sapientiae capaces efficiamur. Hinc Isaias, cap. XXVIII. cum gulam et ebrietatem Judaeorum reprehendisset, mox: *Quem docet scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*. Carnis esus et deliciae lac sunt hominum carnalium, quibus durissimum videtur sine carnis esu vivere. Verum aliud hoc tempore docet nos Ecclesia; cibum puerilem subtrahit, ut solidum largiatur, qui mentem satiet non ventrem. Est autem hoc sacrum tempus commodum valde ad jejunandum; tum quia modo dies nec sunt longiores, ut in aestate, nec frigidiores, ut in hieme, nec occupatiores, ut in autumno; tum quia evacuatio corporum circa hoc tempus prodest ex medicorum sententia; tum quia Christi passi, et felle potati memoria nos invitat. Vere igitur infantes sunt, qui a carnis esu et consueta victitandi ratione ab lactari nolunt: infantes inquam, dierum seu adulti cujusmodi in

Ecclesia nullos esse debere praedixit Isaias, cap. LXV. *Non erit tibi amplius, inquit, infans dierum*.

VII. Tempus est acceptabile ad spargendum semen, de quo apostolus, II. Cor. IX. dixit: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, (id est, liberaliter) de benedictionibus et metet*. Ut enim semen in agrum jactum multum fructum parit seminanti, sic et eleemosyna, cujus tres fructus recenset eo loco apostolus dicens: *Panem ad manducandum praeparabit (Deus), et multiplicabit semen vestrum, et auget incrementa frugum justitiae vestrae*. Panis ergo opes et meritum vitae aeternae, messis sunt eleemosynae. « Sicut semen, (ait S. Basilius, ho. XIII. de eleemosyna), in terram jactum fructum fert centuplum: ita et eleemosyna data pauperi. Si ergo unus tantum tibi sit panis et ad fores rogatur, deprome illum et tollens manus in caelum dic: De modico do fratri et tu, Domine, da mihi periclitanti; nec dubita quin panis quem in hac dabis penuria, agriculturæ semen ad copiam ministrabit. » Est autem quadragesima huic semini spargendo tempus commodissimum, tum quia melius jejunare non possumus, quam si cibum, quem subtrahimus nobis, pauperibus largiamur; nihil enim inde nobis deperibit de substantia nostra, tum quia hac eleemosyna faciemus nobis amicos Christi aulicos, ut facilius in paschate ad eum accedere et veniam impetrare possimus. Passim autem hoc tempore obvii sunt hi aulici, praesertim morbo detenti, qui quo victum sibi parent, non habent.

VIII. Tempus acceptabile ad metendas et colligendas fruges, quod fit per verbi Dei sedulam auditionem. Sic enim S. Augustinus, in capite jejunii, ser. LVI. de temp. scribit: « Sicut tempore messium vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari, colligitur: ita in diebus quadragesimae, quasi in spiritali vindemiarum, vel messium tempore, unde anima nostra in aeternum possit vivere, congregetur. Quia sicut negligens quisque, si opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium fame torquebitur, ita qui hoc tempore spirituale triticum et caeleste mustum jejunando, legendo, orando, in horreis animae suae providere et congregare neglexerit, in aeternum durissimam sitim et crudellem inopiam sustinebit. Certissime scitote, fratres charissimi, quia qualis est caro, quae post multos dies percipit cibum, talis est anima, quae assidue non pascitur verbo Dei. Et quomodo caro per famem et inopiam tenuis et sicca velut quoddam simulacrum efficitur: ita et anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida et inutilis et ad nullum opus bonum congrua invenitur, etc. » Quare

sicut formica congregat sibi in aestate annonam ex messibus, unde possit vivere in hieme: ita provideat sibi unusquisque pabulum animæ e concionibus. Est autem quadragesima ad has verbi Dei fruges colligendas commoda valde, siquidem in ea passim crebriores fiunt conciones, quas si surda vel inattenta aure pertransierimus: *Ipsa nobis medicamenta*, ait S. Augus. serm. LV. de tempore, *convertentur in vulnera; et inde habebimus iudicium, unde potuimus habere remedium*. Et timendum ne id multis, quod quibusdam Israelitis, accidat, quibus nimia abundantia cœlestis mannae fuit vermium materia, qui quanto majorem illius copiam asportarunt, tanto plures vermes domi reppererunt. Concionum ergo copia neglecta pariet copiam vermium, qui rodent corda improborum in iudicio et gehenna. Quare, auditores: *Hortamur vos*, inquit apostolus, in epistola hodierna, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, hoc est, tempus hoc tam commodum et acceptabile ad animam ædificandam, ad tondendos capillos peccatorum, ad minuendum sanguinem poenarum, ad redimendam gratiam et merita, ad præliandum contra hostes animæ, ad infantes abtractandos, ad spargendum semen, ad colligendas fruges, frustra et inutiliter elabi vobis sinatis.

CONCIO V.

MOTIVA AD AMPECTENDUM OBVIIS ULNIS
QUADRAGESIMALE JEJUNIUM.

- I. Exemplum, primo Christi, secundo sanctorum. — II. Societas, primo orbis christiani, secundo gentilium. — III. Incitamenta, primo præmii promissi, secundo poenæ imminentis.

THEMA.

Postquam jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Matth. IV.

Rem novam, auditores. Appulit nuper ingens navis asellis, halecibus et hujusmodi quadragesimalibus cibus onusta de mari occidentali ad ostia Albis, iter ad nos dirigens; eam vero nos in hanc nostram urbem pertrahere debemus, indeque victitare tota quadragesima: sed qua ratione, dicet aliquis, hanc onerariam navim ad nos adverso flumine devehemus? Jungendi imprimis equi robusti, qui præcedant et navim trahant. Deinde, qui in navi sunt remigare debent. Denique, vela expandenda et ventorum adjumento utendum. Hoc pacto navis non difficile adversas undas superabit. Atque hæc subsidia sunt quæ

jejunii hujus pondus mirum in modum sublevant. Audiamus.

I. Præcedunt et trahunt navem Christus et veteres Christiani. Christus primo, qui et ipse jejunavit, et quidem ante nos multoque rigidius, quam nos jejunemus. Nam primo, totis quadraginta diebus nihil comedit vel bibit; secundo, jejunavit media hieme, quando ob circumstantis frigus major est ventriculi calor, proinde cibi appetentia, statim post festum epiphaniæ incipiendo, sexto januarii: tertio, dies illos quadraginta sub dio egit in orationibus et vigiliis citra humanam consolationem, eratque cum bestiis, ut ait S. Marcus. Nobis vero una refectio quotidie conceditur et caro tantum prohibetur: *Nos jejunamus tempore nobis congruo*, ut ait S. Hieronymus ad Marcellam, scilicet nec nimis calido, nec nimis frigido: nobis denique honestæ recreationes hoc tempore non prohibentur; quamquam eam moderatæ et licite esse debent. Ut taceam quod Ecclesia jejuniis excipiat eos qui non possunt. Quis ergo sequi ducem suum detrectabit? Non dixit ille: Qui vult sequi post me, tollat crucem meam, sed: *Tollat crucem suam*, hoc est, suis humeris et viribus parem. Præcedit ipse pedes, cur nos in equis sedentes sequi detrectemus? Certe S. Ambrosius, serm. XXXVI. vult quadragesimam a Christo constitutam. Prædicationem ejus habemus Matth. IX. *Auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt*, inquit Dominus. Et tametsi is forte per semetipsum non præcepit nobis jejunium, sed tantum per apostolos et Ecclesiam suam, nonne adhuc deceret saltem imitari Christum? Sufficiebat apostolis, quod vidissent Dominum jejuniis præcessisse, non requirebant præceptum; protinus enim viderunt decere omni modo ut eum imitemur, qui nostri causa jejunavit. Hinc enim Dominus prædixit per Oseam, c. XI. *In funiculis Adam traham eos*, id est, in funiculis hominis. Non enim vult nos trahi Dominus ad opera bona injecto fune sicut trahuntur bruta per pontem vel ad macellum (quia lex nostra lex amoris est, non timoris servilis) sed sicut homines trahuntur. Trahuntur autem homines, cum vident suum ducem, principem vel dominum aliquo præcedere, quia hunc non sequi, pudori et ignominie sibi ducunt: sic Davidem regem nudo capite ambulantem sequitur omnis populus, II. Reg. XV. Alexander Magnus Persidem interiorem ingressurus cum iter perpetuis nivibus gelu concretis offenderet, milesque inde territus reverti vellet, rex castigare territum supersedit. Cæterum ipse equo desiliit pedesque per nivem et concretam glaciem ingredi cepit. *Eruberunt non sequi*, ait Quintus Curtius, lib. V. de rebus gest. Ale-

xand. *primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites, primusque rex dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit, exemplum regis cæteri imitati sunt*. Ita Curtius. Quid putatis Christiani? Annon ad paschale imo cœleste gaudium introducere vult nos Christus? Sed per poenitentiam, sed per jejunium eundem est. Quid tum? Ipse prævit et prior glaciem carnis fregit nobisque iter pandit: seculi mox apostoli, tum orbis totus. Quid nos? Pudeat non sequi.

Secundo, præcedunt et trahunt navem jejunii, veteres patres et viri sancti. Primo, jejunia apostolorum frequentia et rigida fuisse patet ex Domini prædicatione, Marci II. Paulus vixit in jejunio multis, I. Cor. XI. et alii cum ipso, Act. XIII et XIV. S. Petrus apostolus pene semper jejunans, nihil aliud sumebat in cibum, nisi lupinos minuto asse vaneuntes, ut scribit Gregor. Nazianz. in orat. de pauperum amore. Sanctus Matthæus oleribus, baccis et seminibus, non autem carnis vescabatur, teste Clemente Alexandrino, libro II. pædagog. cap. I. S. Jacobus a carne et vino semper abstinebat, teste Eusebio, lib. II. hist. cap. XXII. Primi illi Christiani, qui apud Alexandriam a S. Marco instituebantur in aqua tantum, pane, sale et hyssopo jejunabant, et alii eorum, quarto, quinto, sexto demum die corpus reficiebant, ut refert ex Philone Eusebius, lib. II. cap. XVII. Lucianus in Philopatro testis est Christianos sic solitos servare jejunium quadragesimæ, ut decem soles sine cibo transigerent. Post hos viri notæ sanctitatis, quorum aliqui totos quadraginta dies sine cibo transegerunt, ut Simeon Stylites in columna triginta novem cubitorum stans per diem et pernox, apud Theodoretum; Simeon Salus, apud Leontium; Mamas, apud Metaphrasten; Macarius, apud Palladium; Sanctus Gerasimus, apud Cyrillum. Monachi deinde veteres quorum aliquot totis viginti diebus sine cibo vixisse scribit Gregorius Nazianzenus ad Hellen. Alii e cœnobiis in solitudines per quadragesimam dimittebantur ut vel herbis viverent, vel exiguo cibo, quem secum e cœnobio tulerant, etc. Monachi Tabennesiote quadragesimam transigebant, cibus igne non coctis. In vitis pp. de laicis quibusdam testatur Irenæus et Epiphanius, quod alii quadraginta horas, alii duo, alii tres, alii septem, dies integros jejunarint, præcipue sub finem quadragesimæ. S. Hieronymus, in VII. ep. ad Lætiam de institutione filiarum, prohibens in tenella ætate onera abstinentie: *In quadragesima tamen, inquit, continentia vela pandenda sunt et toti aurigæ retinacula equis laxanda properantibus*. Accedat imp. Justinianus, qui in quadragesima, per duos dies cibus abstinebat

et vino, solis pauculis herbis agrestibus aceto maceratis victitans, ut refert Procopius, lib. I. de ædific. Justin. Carolus magnus jejunio etiam cum periculo valetudinis corpus suum exercuit, Mutus, l. VIII. Primislaus Poloniæ rex per quadragesimam vino deluto admodum aut insipidiore cerevisia utebatur, cilicium interim super nudo gestans, Crom. lib. IX. Ad hæc abstinebant veteres Christiani non solum a carne, ovis, lacticiis, sed etiam a vino et multi a piscibus, ut patet ex Epiphani. in compendio, Basilio, ser. LXII. de jejun. Hieron. in epist. ad Eustoch. etc. Denique, etiam majores nostros ante hoc sæculum rigidiores fuisse in jejunio ex eo patet, quod nostra primum memoria ante non multos annos dispensatum sit nobiscum, ut ova et lactinia comedere possemus. Illi etiam annis abhinc trecentis tertiam pomeridianam horam raro prandebant: nihil de collatione vespertina sciebant, ut patet ex S. Bern. serm. III. de quadr. Hæc erant veterum Christianorum jejunia, qui haud dubie optime sciebant, cur ita jejunarent. Contendebant enim quilibet eorum Christi jejunium imitari eique esse quam proximus: et præterea sciebant, quas pareret jejunium virtutes et utilitates. Quorsum nunc devenimus, qui ne tantam quidem Ecclesie indulgentiam in jejunando ferre possumus? Videtur mihi hic jejunii progressus in Ecclesia apte comparari posse cum statua Nabuchodonosoris, cujus caput erat de auro optimo, pectus et brachia argentea, venter et femora ærea, tibie autem ferreae, pedum denique pars alia ferrea, alia de luto et fictilis, Dan. II. Jejunium Christi capitis nostri de auro optimo, quia omnium præstantissimum; apostolorum et primorum Christianorum de argento, quia jejunabant serio, imo jejunia instituebant, et interim tamen salutem aliorum et prædicationem incumbabant; eremitarum, monachorum et aliorum Christianorum qui apostolis successerunt, ex ære quia fortissima, diuturna et plane ærea; majorum porro nostrorum ferrea suo adhuc rigore constantia, nec multum adhuc remissa. Denique, pedes sumus nos, quorum jejunia partim adhuc ferrea et pristini vigoris, uti religiosorum et paucorum in sæculo, partim vero lutea, uti sæcularium pene omnium, qui tot dispensationibus Ecclesie non contenti sibi ipsis jejunia relaxant quantum volunt, et vel prorsus non jejunant, vel admodum dissolute. Unde si ut apostolus ait I. Cor. III. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, debetur Christo corona ex auro optima, apostolis et coævis Christianis ex argento, successoribus eorum ex ære, majoribus nostris et hodiernis monachis ex ferro, nobis vero ex luto,